



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 3. & 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 2.

Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.

QVÆSTIO I.

An facerent quod non liceret?

Lectio di-
uersa.

Spicas li-
cuis velle-
re.

Simulant
zelum.

Christo
culpam
discipulorum
imputant.

§. 1. Quidam exemplaria habent *id est videntes*, vidētes ipsos & *omnes* autē non licet ipsis. Sed in Græco non est *omnes*, ipsis, nec in Syro, licet hic habeat: videntes ipsos.

Non accusant eos furti, quia ex lege ista licebat accipere; noluit enim Deus vel possessores esse tam auaros, vel iter facientes tam anxie constructos, ut velere spicas non possent. Nam Deu. 23. 25. lex erat: Si intraueris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.

Alii existimant spicas derelictas conficuisse; de quibus Leu. 19. 9. & 23. 22. Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligētis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Atque ita maior eorum paupertas ostenditur, & minor querelarum occasio maleuolis suppeditatur. de hac paupertate vide Iren. l. 4. c. 20. Chrysost. hom. 20. de allegoria, vide August. l. 1. quæst. Euangel. q. 2.

§. 2. Alterum igitur exaggerant, quod id Sabbato fecerant; magno zelo incumbentes rigidi censorum, publico scandalo se opponere simulant. In aliorum actis censendis iniquissimi, duri, suorum scelerum ignari; mera enim malitia, ex cæcati comitabantur, labore insidioso, ut occasionem carpendi acciperent fæda omnino *ἡνικαυτοῦ*, gaudium super malo. Lex Exod. 35. 3. erat, non accendetur igne in cunctis habitaculis vestris, per diem Sabbati: quo cibi apparatus vetabatur: aliis festis ea permittebatur, ut supra dixi, Exod. 12. 16. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad descendendum pertinent.

§. 3. Cum ergo nec alienum rapuerint, nec Sabbatum violarint discipuli, consequitur non egisse eos, quod non licet. Mitius tamen agunt, ut notat Chrysost. Nam cum solo verbo sanitatem conferebat, facti sublimitate iocundati, inuidia vehementiore agebantur in præceptis.

§. 4. Alia etiam ex causa iniuriam faciunt; Non enim ideo Christi doctrina culpanda est, si discipuli male agunt, ex suis eius sæpe affectibus non ad normam magistri semper operantur.

Obiicere tamen hic nobis hæretici solent: nec mirum; fecerunt olim gentiles. S. Chrysostomus id questus est olim. *ὅτι ἵδὼν τοὺς λεγόντας τοῖς ἐμοῖς περὶ τῆς ἐκείνου ἐκείνης, ἀλλὰ ἀνομιῶν περὶ ὁμοῦν*: Non enim ad ea quæ dico ego, sed ad ea, quæ agitis vos, Græci attendunt. Ita nunc quoque cum ab aliquo Catholico præsertim sacerdote, aut religioso delinquitur, non minus apud sectarios gaudii, & infectionis quam apud ipsos inferos nascitur. Nec mirum eos de nostrorum lapsibus exultare, cum eos quotidie mendacissime confingant, ut ante aliquot annos de Illustissimo Bellarmino fecerunt, qui fictitio suo funeri superstes, multis interea rebus sapientissime integerrimeque gestis, & libris conscriptis, hoc anno 1621. die Septembris in Domino sanctissime ac placidissime obdormiuit.

§. 5. Wolffg. Musculus. [Taxandi sunt, inquit, etiam hoc loco delicatuli Ecclesiæ ministri, qui curandi ventris gratia prædicationem Euangelii deferunt. Christus seque suosque ita instituit, ut propter assidui-

tatem promouendi Euangelii, quæ curatione corporis concernebant, omiserit, vel certe inferiore loco habuerit. Vicissim vero Romanus Pontifex suos ita instituit, ut propter ventris provisionem accurate seruandam, doctrinam Euangelii negligant. Discipuli, Apostoli, Pontificum, Cardinalium & Episcoporum prædecessores, esurientes spicas vellunt, & corporum necessitati consulunt, bene contenti. Et Lucæ 22. rogati à Christo, num aliquid defuisset: responderunt, Nihil. Quid qui se iactant Apostolorum successores, responderent hodie?

Haud sane difficulter responderent. Nusquam sic à Pontifice se institui, & animarum saluti corporis curam antepontant, calumniam esse hæretici. Deinde multos esse, qui hoc faciant: delicatulos sacerdotes, ut ad inst. ministrorum. Denique multa esse millia, qui non modo corporis curam animarum procurant non antepontant. Sed insuper animam suam ponant in manu sua, atque ita per famem, sitim, labores, carceres, ferum enndō & ignes, Euangelium propagant.

Interim hic notabis hypocritarum ingenium; in rebus minimis trepidant, magna peccata libere peragunt. Tam peruersi religiosi, quam libenter profani. Alii ne scelerati videantur, in rebus parvis certimoniosos, & scrupulosos se fingunt.

VERSUS 3. & 4.

At ille dixit eis, Non legistis quid fecerit David quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

QVÆSTIO I.

Rectene David egerit?

§. 1. Historia 1. Reg. 21. 3. recitatur in hæc verba: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel da mihi, aut quicquid inueneris. Et respondens sacerdos ad David, ait illi, non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus? Et respondit David sacerdos, & dixit ei. Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublatis fuerant à facie Domini, ut ponerentur panes calidi.*

Christus de consensu Iudeorum, & ipsa veritate statuit; Davidem non peccasse. Sed quamuis lex illa à Deo statuta fuerit, necessitate tamen fuisse excusatum, ex quo colligimus leges ceremoniales non semper, & omni casu obligare, etiam à Deo latas.

Sacri panes erant vel libamentorum, vel panes propositionis; Solis eos edere sacerdotibus licebat. imo non nisi sanctificatis. Leuit. 21. 7. *Scortum, & vile prostibulum non ducet uxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: quia consecratus est Deus suus, & panes propositionis offert.* & Leuit. 8. 31. *Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, di-*

Deo deo: cœcis, Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in camistro: sicut præcepit mihi Dominus, dicens, Aaron & filij eius comedent eos; quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.

Cum ergo David in necessitate lege se non teneri vere iudicauerit, cur Apostoli mei accusantur? Non concedit Sabbatum ab eis violatum, sed necessitate excusat, quo simul & inhumanitatem eorum damnat, qui in esurientes tam erant duri. Luc. 6. 1. Discipulis obijciunt hæc Pharisei, sed mox eos hic accusant apud Magistrum, ut intelligant an eo consentiente tantum nefas committatur.

§. 2. Quamvis in legem Dei cæremonialem David nequaquam deliquerit. Alia tamen parte officioso mendacio usus est. 1. Reg. 21. 2. Rex præcepit mihi sermonem & dixit, Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueri condixi in illi & illum locum. Nec enim a rege mittebatur, sed fugiebat, ut est c. 20. Nec pueri condixerat in certum locum eo modo quo sacerdotes intelligebat: nempe satellitiū & ministros eum certo in loco convenire iussisse; sed paucos secum habuit, quos in aliqua agri suburbani parte latere iusserat.

Itaque non pugnant secum liber regum & Christus, cum v. 1. quaerit Achimelech, quare tu es solus & nullus tecum? Christus ait, eum comedisse, & viros qui cum eo erant. Lyranus quidem existimat admodum paucos fuisse, & quali nullus reputari: quod non convenit verbis sacerdotis, & nullus tecum Abulensis ait in vicina latuisse: Cui obijciunt. Rationem fugæ ostendere, Davidem solum fuisse; solus enim a Ionatha solo discesserat, c. 20. adeo ut ne puerum quidem parvulum conscium esse vellet.

Verum mihi omnino certum apparet. Davidem in vicina habuisse focios. Tum quia Christus testatur, viros qui cum eo erant, comedisse, non autem quos paulo post collecturus erat. Tum quia quoque panes petebat, pro pluribus sine dubio, poterant sane illi viginti viris esse satis. Nec obstat historia: David quidem solus fugit, sed cum a Ionatha recessisset, fidei quibuscumque indicavit: Quos Deus illi fugæ solatio destinavit: qui Saulem timebant, amicitia Davidis illustres. Cōsuetudo enim tyrannorum est, eorum quos oderunt, aut timeant, maxime in causa maiestatis, amicos persequi, torquere: Itaque, c. 20. 33. lancea Ionathan filium petiit, & civitatem Nobæ occidit in ore gladii c. 22. Quomodo igitur fidei & intimi Davidis tuti essent? Nonne verisimile fuit, eos de Domio, si fors alibi lateret, etiam per tormenta interrogandos?

§. 3. Nec in occulto res gerebatur, cum enim ante per satellites capi Davidem iussisset, deinde lanceam in filium Ionatham saepe torfisset: Non dubium est quin plures sibi metuentes recesserint. Porro iam tertius dies erat fugæ cū venit ad Abimelech, dicit enim continuasse suos a mulieribus ab heri, & nudius tertius, quod scire non poterat, nisi secum in itinere & fuga fuissent. Socios itaque itineris habuit, mox ut a Ionatha recessit, & credibile est, admodum festinasse ut quā longissimè a Saule recederet. Nec dubium esse potest, legendibus Marcum & Lucā, qui aiunt elusisse ipsum, & eos qui cum ipso erant. Nam in via vix appellare quenquam de cibo poterant, cum pridie Saul voluntatem ostendisset, iam postridie per vicina loca fama vulgabatur, & festinandum erat Davidi, ut eam præterteret. Socios urbem intrare noluit, ne turbas cerneret, forte dubitabat, an de se iam constaret civibus. Nam cui rex offensus est, vix amicum reperit.

§. 4. Laboravit vero ut omnes lateret: & latuisset,

nisi Doeg eum prodidisset, ita ille prælagiebat. 1. Reg. 22. 22. Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, Latere vobis. proculdubio annuntiaret Saul: ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: si quis quaesierit animam meam, quaerit & animam tuam, mecumque servaberis. Inopinato autem in illum inciderat.

Potuisse autem famam Davidicæ fugæ eo pervenisse constat ex c. 22. 17. Et ait rex emissariis qui circumstabant eum. Convertimini & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David est: scientes quod fugisset & non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. Et ait rex ad Doeg, converte tu & irruere in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.

Quod quamvis furiose dicat: Non tamen credibile est eum claram, & cunctis manifestam calumniam facere voluisse. Quod futurum erat, si constaret Achimelech eo tempore de fuga nihil cognoscere potuisse. Iam autem tantum temporis effluxerat, ut probabiliter dicere posset, & Saul certo statueret, de fuga Davidis sacerdotem cognovisse.

QVÆSTIO II.

Vbi illa domus?

§. 1. Nondum erat templum, itaque dicendum videretur domum illam esse tabernaculū, sed in Nobæ illud non erat in Nobæ, sed in Silo. 1. Reg. 3. & 24. & 3. 21. & 4. Reg. 3. Verū vbi panes erant propositionis, ibi erat & tabernaculum, & arca, nam etiam tempore Samuelis esset in Silo, postea tamē 20. annos fuit in Cariathiarim: nec dubium, quin & eo translatus fuerit tabernaculum. Deinde 1. Reg. 10. 3. ascendunt viri in Bethel ad dominum. & v. 8. iubetur Saul ire in Galgala, ut ibi immolet victimas pacificas. & c. 12. in Galgala totus populus immolat victimas. & 1. Reg. c. 14. 18. est cum filiis Dei in Gabaa, & 2. Reg. c. 6. 3. inde eā adducit. Sæpe itaque mutavit stationem arca. itaque & panes propositionis.

Panes propositionis Heb. facierum. 72. ἄρτους προσώπων panes, qui ante faciem & faciei, & προσώπων propositionis nominant. Deinde & προσκευμενός, propósitos, quidam vocāt appositos, melius propositionis; his se, tribus duodecim testabantur a Deo perpetuo nutriti, idque per menses 12. hoc est semper, toto anno.

§. 2. At quomodo summus Sacerdos tam diues nō habuit alia quæ daret Davidi? Responderi posset, accis res fuisse bello continuo &c. Verum dubiū nulum est, potuisse summum sacerdotem vel mutuo vel emptione panes in civitate Nobæ, in qua erat accipere, sed noluit David morari, nec cognosci, itaque aliud non accepit, quam panes qui erant in tabernaculo, domum sacerdotes ire noluit.

QVÆSTIO III.

Quomodo Marcus vocat Abiathar?

§. 1. 2. Reg. 17. vocatur Achimelech. Beda Abiathar fuisse patre excellentiorem, ideo meritum ut nominaretur etiam patre vivente. Verum ea de re non immerito dubitat quispiam. Nam Achimelech pro Davide ab iniusto rege occisus est. Abiathar cum Adonia se coniunxit 3. Reg. 1. 7. & ibidem c. 2. 27. Sacerdotio deiectus est, mortem etiam iudice Salomone meritis. Itaque rectius dicitur Achimelech esse binominis, ut Tolet. Regius. alij.

Auctor traditionum dicit Abimelech esse eundem

cum Abia de quo 1. Reg. 4. 1. 4. Iansen, c. 37. nomina illa pro eisdem accipi ait. ex 2. Reg. 8. 1. 18. Abul. 1. 2. q. 24. Abiatharam ait functum sacerdotio ob patris occupationes, quod verisimile non videtur, cum summa esset functio sacerdotis summi, & omnes alie occupationes alijs delegari potius, quam ista de buerit. Alij autem esse transpositionem figuratam, vt Abimelech filius sit Abiatar, non Abimelech Abiataris, à Marco autem illum nominari, quia tamen aderat, & paulo post summus sacerdos fuit. Verum Christus aperte factum ait sub Abiathar principe sacerdotum. At 1. Reg. 21. & 22. Abimelech est summus sacerdos. Alia ergo ratio non est, quã vt binominem dicamus.

§. 2. De mensa panum propositionis Exod. 25. 23. Eiusdem magnitudinis in tabernaculo & templo fuit. Vide & Abulens. Leuit. 24. & Azor. nostrum Instit. Moral. p. 1. l. 5. c. 47. Hebraei in arcã aperta formam factos panes arbitrantur, eos Arias Montanus sequitur, Iosephus l. 3. Antiquitatum causam declarat. Verum ista incerta nihil necesse est persequi.

Cum vero singuli panes continerent duos Gomeres. Gomer autem plus satis sit ad cibum diurnum, vt constat Exod. 16. 15. certum est Dauidem cū quinque panes peteret, pro decem socijs cibum in diem petiisse. Potius tamen credidero plures adfuisse, & in vnam solum refectioem petitis panes.

VERSUS 6.

Aut non legistis in lege, quia sabbathum violant, & sine crimine sunt?

QUESTIO I.

An non violent sacerdotes festum in templo?

Templi cultus Sabbatho fit.

§. 1. Alio argumento improbam calumniam reijcit. Sacerdotes ea faciunt, quã per se, nisi cultus Dei excuset Sabbathum violant, nisi ad cultum Dei fierent; nam pecudes maculant, deglubunt, intestina lauant, ligna conferunt, si igitur illi sine crimine sunt, quanto magis Apostoli, qui necessitate adducti vitam ita sustentant? Ostendit exceptionem aliquam in lege Sabbathi fuisse. Traditio Iudaica est. In templo non est Sabbathum, nam sacrificiorum & victimarum labores cum sint cultus Dei immediati, non sunt opus seruile. Si ergo templum excusat à violatione Sabbathi criminosa, quanto magis filius Dei? quia is maior est templo, at discipuli mihi seruiant, si templi cultus excusat sacerdotes, cur non & templi Dominus discipulos. Si id in gratiam templi, ergo & in gratiam Christi vt illi ad sine illi seruiant. Non quod proprie Sabbathum violent, cum lege sacrificia offerant, manuarum vero opera, non sint vetita, cum in templo diuinis cultibus impendantur.

Sabbathi prudens custodia.

§. 2. Hic dicitur, quidam salutem populi interpretantur, ob superstitionem de obseruatione Sabbathi sunt reprehensi, vt ostendit, argumentum de templo; Colligit enim non omnia opera prohibita, sed quãdã certigenis apud Hebræos periculũ animarum, & delictum mortis tollit Sabbathũ. Thalm. de Sabbatho. Hic dicitur hoc loco, non intelligitur aliud quam ipse Christus. vt v. 41. Ecce plus quã Ionas hic & 42. plus quã Salomon hic. Itaque non dubium est die Sabbathi & medicinas apparatus, & curam omnem agrorum administratam defensionem etiam contra hostes licitã. Nec ex lege, sed propria superstitione Iudæos egisse illos, qui imminente tempestate die Sabbathi, quies-

cebant, si enim sacerdotes & discipuli, & sine culpa sunt, cur non & discipuli, non enim l. x sine exceptione Sabbathi cultum exegit, si enim sine vlla exceptione opus prohibetur, non poterunt maculationes, & venerationes pecudum, stues, lignorum, allationesque sacrificiorum excusari. Si illa Sabbathũ non violant, sed honorant, aliqua igitur in lege exceptio datur etiam à vobis. Eam vero maxime necessitas extorquet. Non est quidẽ Sabbathum violandum, sed non superstitione ne Iudaica obseruandum, nõ vt nullum opus fiat, sed nullum seruile, sed liberale, filiale, ad Dei cultum pertinens. Ne Seneca vt est apud S. Aug. Septimi dicitur oculum exprobrat, septima scilicet vire parte nihil nõ agere. Minime enim ociatur, qui Numini religiosum cultum impendet.

VERSUS 7. 8.

Si autem sciretis, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes: Dominus enim est filius hominis etiam Sabbathi.

QUESTIO I.

An abrogauit Sabbathum?

§. 1. Particula causalis rationem reddit cur dixerit, innocentes, quia vtrumque lex habet: certe legislator Deus dispensare potuit me talem facta mea docuerunt. Innuat aliquando leges illas ceremoniales esse abrogandas. Quod vero addit: misericordiam volo, vel Dei, vel hominum misericordiam, intelligit. Dei quidem: Non enim hominem ob Sabbathi scrupulosam custodiã fame torqueri eius benignitas cupit. Hominum vero: quia misereri clementium oportuit, & necessitas, nõ contemptus Sabbathi fuit, quod spicas vellerent. Iudicare etiam eodem modo de misericordia Dei homines fas est, vt iudicauit Dauid. De hominum erga homines benignitate malim hic accipere, quia accommodatius est: Nam misericordia inquit est Deo grator quam sacrificium, multo igitur magis, quam custodia Sabbathi. Non tamen Sabbathum abrogauit, sed vsum eius docuit.

Vere itaque hic Caluinus. Falluntur meo iudicio, qui Sabbathum hic penitus abrogatum esse putant: quum simpliciter doceat Christus quã suam sit rectum illius vsum. Nam et Iosepho ante asseruit Sabbathi se quog, esse Dominum: nondum tamen aduenerat maturum abrogationis tempus, quia velum templi nondum fuissem erat. Quia ratione contra eius discipulos vtentur, cum legem veterem à Ioanne Baptista abrogatam vt nouam inductam imperite clamant, vt pro Christi baptismo Ioannis baptismum substituant. Dominus, se esse qui Sabbathũ instituit, se quoque tollere posse, ita sua facultate Apostolos hoc agere. Marc. 2. 27. Sabbathum est propter hominẽ, ita salus hominum non debet impendi Sabbatho. Porro posteriores Iudæi adeo superstitioni fuere Sabbatho, vt ne in extrema quidem necessitate remigare, aut aliud quidpiam auerterent periculo egere vellent.

§. 2. Dominum esse Sabbathi proprium est Dei legislatoris: Hic enim locus requirit, vt dicatur Dominus Sabbathi, vel custodiendi, vel violandi. Ex quo etiam Christi diuinitas apparet. Nemo est Sabbathi Dominus, nisi solus Deus, qui Sabbathum fecit. Lex enim olim lata à Deo, totiesque inculcata non nisi pari potestate, vel maiore abrogari potuit. Dominum enim in Dei legem nulli est, nisi soli Deo concessum. Nec solum Christo abrogandi leges ministeriũ concessum est, sed dominium sibi tribuit. Tertull. lib. de carne Christi